

DE
BAPTISMO
SUPER MORTUIS

I. Corinth. XV. v. 29.

asserto

DISPUTATIO THEOLOGICA

quam

Unâ cum Augustanæ Confessionis
Articulo IX.

DEO clementer annuente

*Consentiente Venerandâ Facultate Theologicâ
in Universitate Rostochiensî*

SUB PRÆSIDIO

VIRI Reverendî admodum, Clarissimi & Excellentissimi

DN. JOHANNIS CHRISTO-
PHORI OTTONIS,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. celeberrimi,
Domini, Fautoris ac Præceptoris sui suspicendi,

Ad d. III. Martii, hor. matut. in Auditorio Majori
publico examini exponet

JOHANNES HENRICI,

Ribnizensis Meckelburgicus.

Typis Hæredum NICOLAI KILH, Acad. Typ. 1660.

Coll. diss. A
207, 26

Coll. Diss. 207 (26)

12

H. S. H.

Pari Virorum maxime conspicuo,
Admodum Reverendis, Clarissimis atq; Excellentissimis
DN. DANIELI JANO, Ecclesiar. Diæcesis Gu-
stroviensis Superattendenti vigilantissimo gravissimo.
DN. M. JOSUÆ ARNDIO, Illustrissimi Prin-
cipis ac Domini, **DN. GUSTAVI ADOLPHI**, Ducis
Meckelb. &c. &c. Concionatori aulico facundissimo, fidelissimo.
Dominis, Patronis & Promotoribus suis æternùm devenerandis,

S. P.

Inter arma filere leges, & honestis literarum studiis suum denegari cultum hæc
tempestate non solum integra regna, sed ipsa etiam patria nostra Megapolis à trucu-
lentâ Martis sævitia proh dolor! non correpta modò, sed penè consumpta & tantùm
non funditus eversa testatur ac deplorat. Cum verò nobis in Roseto hoc Divina beni-
gnitas adhuc halcedonia concesserit, eò majori industriâ iis nobis incumbendum esse ar-
bitramur, ne prorsus negligantur. Conscripsi igitur & ego exercitatiunculam hanc
de baptismo super mortuis, quam cum consecrare vellem Mæcenatibus, Vos imprimis
occurrebatis, Viri admodum Reverendi, quibus eam jure deberi existimabam. Vos enim
Celsissimo nostro Principi à concionibus & consiliis sacris constituti universam exindè
Diæcesis Ecclesiam respicitis & indefessam pro eâ curam geritis. Quicquid igitur tam
à docentibus quàm discipulis agitur, Vestro judicio merito committitur. Estimula-
runt me insuper insignia benevolentiae vestrae indicia mihi antehac perspecta. Tu qui-
dem, Excellentissime DN. SUPERINTENDENS, cum superiori æstate Reverendum
Virum DN. JOHANNEM GERKENS, Pastorem Cœnobii Ribnizensis introduceres, de-
xtram benevolentiae signum porrigere dignatus es, ex quo tempore cum non sit data oc-
casio ulteriorem tuam gratiam mihi conciliandi, paucis hisce pagellis id tentare ausus
sum; Tuam verò, Clarissime ARNDI, notitiam & favorem, in quem ante quatuor &
quod excurrit annos per Reverendum tuum Affinem DN. MARTINUM LANGIUM,
Ecclesie Patrie Pastorem perveni, conservandi, quia hætenus nullam habui hanc arri-
pere commoditatem non dubitavi. Accipite ergò, Viri Amplissimi, exiguum quidem
hoc, sed observantiae erga vos meae τὴν πρῆξιν benevolâ mente, concedite paucissima
hæc adaugeri nominum Vestrorum amplitudine, & mihi in posterum ac studiis meis
favete. DEUS ter Opt. Max. Vos in Meckelburgicæ Ecclesie commodum quamdiu
servet incolumes! Dabam ROSTOCKI, die Purificationis, Anno orbis redempti
1660 DC. LX.

V. V. Excell. Excell.

observantissimus

Johannes Henrici, Ribnizensis.





ביתור

DE BAPTISMO SUPER MORTUIS.

Cum in priori suâ ad Corinthios Epistolâ D. Paulus varios Corinthiorum abusus & errata perstrinxisset, prioribus scilicet capitibus quatuor schismata ex æmulatione Doctorum orta, cap. V. & VI. incestum, vagas libidines & contentiones coram Magistratibus Ethnicis; Cumq; cap. VII. veram de cœlibatu & conjugio doctrinam tradidisset, cap. VIII, IX. & X. de Idolothytis, deq; re-ctâ Christianæ libertatis usurpatione Corinthios instruxisset, cap. XI. divinam S. cœnæ institutionem & dignum ejus usum ostendisset, cap. XII, XIII, XIV. abusum donorum ad ambitionem & ostentationem translatorum castigasset, atq; *ἁγία* in functionibus Ecclesiasticis inculcasset; tandem cap. XV. in eo totus est, ut resurrectionem mortuorum, quam Philetus, Hymenæus 2. Tim. II, 17, 18. & alii PseudoApostoli inficias ibant, solidis rationibus demonstret. Argumentum primum desumit à resurrectione Christi, quam irrefragabilibus testimoniorum momentis probat à v. 4. ad 12. eidemq; ut firmissimo fundamento resurrectionem nostram superstruit à v. 12. ad 29. duabus præprimis hisce rationibus (α) quia Christus factus fuerit primogenitus s. primitiæ ex mortuis, & primus inter mortuos ad vitam æternam resurrexerit. Revixerunt quidem ante Christum nonnulli, sed tantum à statu mortis, non ab omni potentiâ moriendi, Christus vero ad perfectam gloriam ut primitiæ & primogenitus: quæ voces ad alios subsecuturos respectum involvunt, quomodo Christus dicitur *primogenitus inter multos fratres* Rom. VIII, 29. & *principium ex mortuis in omnibus primas tenens*, Col. I, 18. Sicut enim per unum hominem (Adamum) mors intravit in mundum, ita etiam per unum hominem (Christum) resurrectio mortuorum, &

A

sicut

sicut non solus Adam mortuus est, sed totum genus humanum in eo & per eum, ita etiam non solus Christus resurrexit, sed omnes in eo resurgent & vivificabuntur v. 21, 22. (β) quia ipsius Christi sumus v. 23. id est quia Christus nostrum caput & Rex noster est. Caput esse constat Eph. I, 22. Col. I, 18. Sicut igitur in naturalibus caput semper primo emicat, corpore & reliquis membris subsequentibus, ita juxta Paulum primo resurrexit Christus, deinde & nos resurgemus ad vitam cum omnibus iis, qui sunt Christi. Quod si mortui sumus cum Christo ut capite, vivemus cum eo ut cum capite 2. Tim. II, 11. Rex noster est, nam ideo revixit atq; resurrexit, ut æternum nobis dominetur. Rom. XIV. 9. sublata autem resurrectione nostrâ, non posset habere Christus in quenquam post hanc vitam dominium, sed cum fine mundi simul ejus imperium destrueretur, cujus tamen non erit finis Luc. I, 33. Argumentum secundum desumit à baptismo super mortuis, ita concludens: quid facient, qui baptizantur super mortuis, si omnino mortui non resurgent? Hic locus eo est intricatior, quo ritus ille nobis ex antiquitate ignotior, unde sententiarum divortia. Pontificii, licet ipsi fateri cogantur, locum hunc esse obscuræ & dubiæ interpretationis, non tamen dubitant, ex eo erroneam suam de purgatorio doctrinam & mediis ex eo liberantibus probare, atque sic manifestè ἐν τῇ δεξιῇ λαμβάνειν. Quandoquidem verò per illum ex parte apocryphum ritum Apostolus fructum baptismatis (de quo articulus Augustanæ confessionis IX, quem una cum hac materiâ doctorum placidæ collationi exponimus, conceptus est) illatione planè illustri deducit, operæ pretium facturos nos confidimus, si collectis scriptorum tam priscorum quàm recentium de hac difficultate sententiis, unâ cum aliorum de iis judiciis, nostram probabiliter adjungamus, scopumq; Apostoli & nervum argumenti ostendamus. Quod ut eo fiat commodius, rem totam duobus capitibus absolvemus, quorum I. post διατύπωσιν textus exhibebit variarum interpretationum enumerationem 2. nostræ sententiæ assertionem. Quod Christus resurrectionis nostræ gloria secundet!

CAPUT I.

De variis interpretum sententiis.

Textus I. Corinth. XV, 29.

Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτίζοντες ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ εὐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; La-

Alioqui quid facient ii qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? cur & baptizantur pro mortuis?

Germ. LUTHERI.

Was machen sonst die sich tauffen lassen über den Todten/so allerdinge die todten nicht auferstehen? was lassen sie sich den teuffen über den todten?

§. 1. Antequam ad rem ipsam accedamus, notamus I. vocabulum baptismi esse πολύσημον, sumitur enim ex multorum sensu (α) generaliter pro quavis lotionē. Act. I, 5. c. II, 16, 17. hinc baptismus dicitur lavacrum Eph. V, 26. quod tamen non solâ immersione, sed etiam aspersione & effusione fit, Act. XXI, 16. Marc. VII, 4. (β) metaphoricè vel pro largis & miraculosis Sp. S. effusionibus Matth. III, 11. vel pro cruce, afflictione & morte Matth. XX, 23. Luc. XII, 50. (γ) synechdochicè pro institutione & doctrinâ Act. XII, 25. (δ) specialiter pro sacramento baptismi Matth. XXVII, 19. Marc. XVI, 16. Notamus II. diversitatem translationis verborum hujus loci. Ut enim vocabula βαπτίζομαι & βαπτίζονται, quæ nonnullis sunt mediæ formæ & activæ significationis, ab aliis vero neutraliter accipiuntur, silentio prætereamus, duplex occurrit sumtio particulæ ὑπὲρ, quam quidam interpretes per pro vertunt, ut sensus sit: quid facient, qui baptizantur pro mortuis? quidam verò per super, hoc sensu: quid facient, qui baptizantur super mortuis? Juxta quam duplicem versionem duo possunt constitui sententiarum genera 1. τὸ ὑπὲρ per pro 2. per super explicantium.

§. 2. Qui τὸ ὑπὲρ per pro vertunt, in plurimas iterum abeunt sententias. Primam sententiam de suo tempore refert Epiphanius eorum, qui statuerunt, vocabulum baptismi specialiter significare hic sacramentum ipsum, Paulumq; digitum intendere ad opinionem quorundam existimantium, eorum loco, qui præpoperâ morte ab usu baptismi prohibiti essent, post mortem nihilominus alios baptizari posse, ita ut baptismus ipsis sine baptismo mortuis in resurrectione justorum profit, æquè ac si baptizati essent. Quem errorem Cerinthianis tribuit, eumq; in Asiâ & Galatiâ valdè viguisse docet hæres. 28. Verùm de hâc sententiâ Bellarminus ita judicat: Non puto veram hanc expositionem 1. quia Apostolus debuisset saltem insinuare hunc esse errorem, ne daret occasionem errandi.

2. quia non solidè argumentaretur Apostolus, posset enim responderi, non bene probari resurrectionem ex eo, quod ita credant quidam errantes. 3. Chronologia repugnat, error enim iste post tempora Apostolorum demum extitit.

II. Sententia tribuitur Sedulio & Primasio, qui per mortuos intellexerunt spiritualiter mortuos seu mortificationem spirituales, quâ in baptismo quilibet peccatis moritur, ut baptizari pro mortuis sit baptizari ut reddamur peccatis mortui, vel baptizari pro mortuis scilicet operibus mortem nimirum merentibus. Sed hanc expositionem *duram* vocat Chamier 1. quod inusitatum sit, peccata per mortuos intelligi. 2. quod importuna plane foret ambiguitas in eodem contextu: si non resurgunt mortui, nempe homines: qui baptizantur pro mortuis, nempe peccatis. 3. quod argumentum nullum foret, quia non agitur de vitâ gratiæ simpliciter, sed de resurrectione carnis &c.

III. Sententia est Epiphaniï hæres. qui per mortuos hic intelligit mortui vicinos eos, de quorum vitâ prorsus desperatur. Tales enim Catechumeni, ne absq; usu hujus sacramenti decederent, in lecto baptizabantur, & pro mortuis h. e. certò morituris, & in Ecclesiâ sacramentum nunquam suscepturis habebantur. Veteribus dicebantur Clinici, vide Excell. Dn. Præsidis disp. de Donatistis c. I. §. 5. Verum & hæc sententia minus placet Bellarmino *ideò*, quia illud pro mortuo non potest dici, nisi in iis actionibus, quæ fiunt circa mortuos. v. gr. rectè dicitur, præcipitatus ex loco editus pro mortuo sublatus s. sepultus fuit, etiamsi viveret; at non rectè, ille ambulabat, comedebat, loquebatur pro mortuo. At baptizare est vivorum non mortuorum: ita non rectè dicitur, baptizari aliquem pro mortuo, etiamsi agat pro extremis, sed potius debebat dici, baptizari pro vivo, etiamsi sit verè mortuus.

IV. Sententia tribuitur Theodoro, qui hunc locum de baptismo Christi interpretatur, quem pro mortuis suscipi dicit, quod morientis ac resurgentis speciem quandam referat, qui baptizatur, inquit, Domino consepelitur, ut cum mortis fuerit particeps, sit etiam particeps resurrectionis. Si autem corpus non resurgit, cur etiam baptizatur? favet Apostolus Rom. 6. quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum. Sed & hunc Bellarminus refutat 1. quia neq; Hebraicè neq; Græcè neq; Latine agere pro aliquo significat eum representare, sed agere loco ejus vel in ejus utilitatem. 2. quia qui baptizantur, representant mortem Christi, & simul mortem suam, ut patet ex loco cit. Rom 6. itaq; baptizari pro mortuis erit, baptizari pro se & pro Christo, quod absurdum. 3. quia argumentum Apostolâ nullum

nullum esset, nam ex eo, quod qui baptizatur, agit personam mortui, non sequitur, quod profiteatur resurrectionem &c. V. Sententia est eorum qui Paulum respicere statuunt ad baptismum ceremoniale V. Testam. de quo Num. XIX, 18. quam legem etiam eo extendunt, ut si quis ex tactu cadaveris impurus sine aspersione aquæ lustralis decesserit, superstites pro eo lustrari debuisse contendant, atq; ex hoc loco sacrificia etiam pro mortuis in V. T. usitata fuisse probent. Sed & hæc explicatio maxime displicet Chamiero & aliis 1. quod sacrificia pro mortuis in V. T. nullibi reperiantur. 2. quod nusquam legamus alios pro aliis baptizari solitos s. mortuus s. viventibus. 3. quod non constet illam ablutionem immundorum ex contractu mortui factam in spem resurrectionis carnis, quæ disputatio Apostoli est; quin potius factam esse in remedium ceremonialis pollutionis: cujus ratio aliena erat à peccato. VI. Sententia est eorum, qui baptismum metaphoricum, cruciatus nimirum molestias & dolores, quos quis patitur pro spe resurrectionis mortuorum intellectum volunt. Hi sentum Apostoli talem faciunt: si mortui non resurgunt, cur tot pro fide resurrectionis dira supplicia subeunt, imò mortem ipsam fortiter appetunt? Atq; sic baptizari pro mortuis idem esset, ac extrema quæq; pro asserendâ resurrectione perpeti. Applicant huc verba Pauli Act. XXIII, 6. & XXIV, 21. de resurrectione mortuorum ego judicor hodiè à vobis: ut & ea, quæ textum nostrum immediate sequuntur: quid periclitamur omni horâ? quotidie morior: verba sunt Justiniani, qui autem ipse hanc sententiam tali excipit iudicio: *de vi argumenti magnopere dubito: facile enim responderent Corinthii, eos insanire, qui pro falso dogmate (resurrectionis mortuorum) mortem oppeterent.* VII. Sententia etiâ de baptismo metaphoricum cruciatuum scil. & dolorum explicat, sed per mortuos verè mortuos indigitari censet, pro quibus è purgatorio liberandis vivi se affligunt. Hæc est, quæ unice arridet Bellarmino: *Est igitur, inquit, sexta expositio vera ac germana, quod apostolus loquatur de baptismo lachrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando & eleemosynas faciendo, ut sensus sit: quid facient, qui baptizantur pro mortuis. i. e. quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis? sed quantum placeat sententia hæc Bellarmino & Pontificiis, tantum displicet aliis. Estius ita refutat: Non multum probabilitatis habere videtur iste commentarius. 1. quod illa baptismi significatio valde figurata sit ac rara, nec ab alio quàm à Christo Domino usurpata. 2. quia baptismus iste non significat afflictionem s.*

passionem quamlibet, sed vehementem, eamq; forinsecus illatam aut irruen-
 tem &c. hoc autem ad voluntarias afflictiones, ut sunt orationes, eleemosynæ
 & jejunia accommodari non potest. Prolixior in hanc rem tum falli osten-
 sione, tum argumentorum Bellarminianorum refutatione est Chamier.
 Verum cum paginarum nobis sit habenda ratio, illa, sicubi opus fuerit,
 discursui reservamus. VIII. Sententia Ariæ Montano ascribitur, qui de
 illis hæc verba interpretatur, qui Sp. S. accipiunt ante baptismum uti
 Cornelio ejusq; familia Act. X. hos arbitratur baptizari pro mortuis, quia
 jam ante mortui peccato & in vitam justitiæ restituti rationem non ha-
 bent, cur baptizentur, nisi ut ipsâ susceptione baptismi, qui immersione
 & emersione peragitur, profiteantur spem futuræ resurrectionis è mor-
 te corporis. De hac sententiâ ita judicat Estius: *Viderit autor, quâ pro-
 babilitate commentarium hunc suum asserat, mihi profectò violentus & lon-
 gissimè petitus videtur.*

§. 13. Primum variantium sententiarum ordinem habuimus, sequitur
 alter, eorum scil. qui τὸ ὑπὲρ νεκρῶν per super mortuis exponunt. Pri-
 mam sententiam tenent Megalander Lutherus, Hunnius, Gerhardus, ut
 & Calvinianis Piscator & alii, qui statuunt, Paulum respicere ad ritum
 aliquem jam suo tempore invalescentem, dum Christiani super sepul-
 chris mortuorum baptismum susciperent ad ostendendam firmam fi-
 dem de resurrectione mortuorum, in cujus spem baptizabantur, pro
 quâ extrema quæq; subire non dubitabant. Verum neq; hæc sententia
 omnibus probatur, Chamier ita: *Hoc, inquit Beza, nullâ idoneâ ratione
 probatur. Nec enim absurdum est, inquit, veteres Christianos super sepulchra
 baptizari voluisse, ut testarentur, se unâ cum Christo mortuos esse peccato, &
 propter Christum paratos esse mori, ac si jam in sepulchris recondendi essent.
 Profectò, quæ de factò sunt, in iis periculosum est, solis niti conjuncturis.* II. Sen-
 tentia est Francisci Junii, cui partic. ὑπὲρ idem est quod præter, quiq; in-
 de talem facit Apostoli sensum: si mortui non resurgunt, frustra agunt,
 qui adhuc baptizantur super vel præter eos, qui jam ante baptizati sunt
 & exspirarunt. Ut enim omnes illi fine suo resurrectione scil. essent
 delusi, ita & horum vana foret expectatio. D. Gerhardus eandem expo-
 sitionem τῷ ὑπὲρ ex Tileno refert, sed baptismum cum eâ tropicum cru-
 cis & martyrii, & ita de illâ judicat: *Talis significatio partic. ὑπὲρ pro ul-
 tra & præter videri posset paulò coactior &c.* de Morte §. 268. III. Senten-
 tia est Chrysostomi, qui arbitratur, Paulum hic respicere fidei confessio-
 nem

nem eorum, qui baptizantur. Oportere enim eos inter reliquos fidei articulos resurrectionem mortuorum credere & confiteri, & tum mergi in aquam, & educi in signum mortis & resurrectionis, hinc baptismum Paulo vocari sepulchrum Rom. 6. Sed hanc sententiam Bellarminus pro virili redarguit: *Certè, inquit, dura ac violenta expositio est. 1. quia non diceret Apostolus, quid facient, qui baptizantur pro mortuis, sed quid facimus qui baptizamur pro mortuis? 2. quia inauditum est, ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis vel corpora mortua, cum in græco sit νεκρῶν in gen. masc. & corpora σωματῶν sint gen. neutri. 3. quia si ideò diceremur baptizari pro mortuis, quia recitamus articulum de resurrectione mortuorum, etiam possemus dici baptizari pro Deo Patre & pro Christo & pro Sp. S. & pro Ecclesiâ, quia hæc omnia recitamus in Symbolo. 4. quia Apostolus videtur omninò mortuos homines intelligere & nihil aliud. IV. Sententia est Beza, qui τῶν βαπτίζοντων voce mediâ exponit activè baptizantes, & refert non ad baptismum sacramentalem, sed ad veterem ritum lavandi corpora defunctorum, Act. IX, 38. quasi Apostolus diceret, incassum eos laborare, qui tam diligenter corpora lavarent, nisi eorum speraretur resurrectio. Sed hæc explicatio displicet D. Sebast. Schmidio Profefs. Argent. Profectò, inquit, non parum durè interpretatur h. l. Beza τῶν βαπτίζοντων activè de actione transeunte in aliud subjectum, mortuos scilicet. Non parum etiam durè præpositio ὑπὲρ circumscribit patientis accusativum &c. V. Sententia est Büllingeri, qui itidem verba Apostoli activè explicat, eaq; applicat ad ceremoniam gentium qui super mortuos & sepulta corpora baptizant, h. e. aquam spargunt, quâ irrigatione eos aperte testari dicit, flaccida ista in terram seminata corpora reffloritura. Verùm hanc interpretationem nemini facile se probaturam, quin seipsam refutaturam esse judicat Schmidius. Quis enim, inquit, credat, Paulum ad istū Ethnicorum morem respicere non tantum voluisse, sed interpretari etiam, quod resurrectionem mortuorum significet? quis credat, voluisse verbum βαπτίζοντων usurpare pro aquam superfundere vel irrigare? aut ὑπὲρ cum genitivo positum hic vertendum esse per super cum accusativo? VI. Deniq; sententia est, quam tenet laudatus Dn. D. Schmidius in disput. ante 4. annos de hac materiâ habitâ Argentorati quâ statuit intelligere hic Apostolum baptismum ceremoniale V. T. super mortuis, utpote qui propterea à Deo per Moysen institutus fuerit, ut populus Israeliticus commonefieret resurrectionis mortuorum; ab autoritate itaq; V. T. argumentari hinc Apostolum.*

CAPUT

CAPUT II. De sententiæ nostræ assertione.

§. 1. Nos cujusvis sententiæ scopo Apostolico convenientissimæ amplexum liberum cuivis relinquimus, salvis tamen aliorum judiciis. Nostram de controversorum verborum sensu mentem sequentibus positionibus includimus.

§. 2. Dicimus 1. Vix posse certo sciri aut infallibiliter demonstrari, quem ritum hic intendat Apostolus. Si enim inspiciamus omnes & singulas ordine enumeratas interpretationes, nihil apodicticè monstratum, sed omnia per probabiles rationes tantum asserta comperiemus, ab aliis per rationes alias refutata.

§. 3. Dicimus 2. Licet sciri vix possit, ad quem morem respiciat Apostolus, manifestum tamen esse, Paulum per hunc baptismum, qualiscunq; etiam fuerit, probatum ire resurrectionem mortuorum. Patet hoc non solum ex antecedentibus, & consequentibus imo ex toto cap. XV, sed etiam ex clarâ textus literâ *τί ποιήσασιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ ὅσα ἐγείρονται*; tantum scil. roboris huic argumento tribuit Apostolus, ut eo etiam ad absurdum redigi posse censeat, quotquot in spem resurrectionis baptismum suscipiunt, hinc eleganter duplicatis verbis actionem describit, *τί ποιήσασιν οἱ βαπτίζομενοι & τί καὶ βαπτίζονται*; q. d. si resurrectio mortuorum falsa est, frustraneum etiam & inane, imo prorsus stolidum & demens fuerit eorum propositum & factum, qui in hunc finem baptizantur.

§. 4. Dicimus 3. Si ex fine judicandum de re ipsâ, probabilius videri Paulum hic indigitasse ipsum baptismum proprie dictum sacramentalem, non autem metaphoricum vel synechdochicum vel quemvis aliû. Si enim ex ullo baptismi genere resurrectio mortuorum probatur, certè ex baptismo sacramentali ea quàm maximè evincitur. Liquet hoc I. ex Rom. VI, 4. ubi dicimur *per baptismum cum Christo consepulti in mortem, ut sicut Christus resurrexit ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. v 5. nam si insititii facti sumus illi per similitudinem mortis ejus, nimirum & resurrectionis erimus.* Hæc verba autem de baptismo sacramentali intelligenda esse, haut puto, ullum fore, qui ambigat. Dices: Apostolum loco cit: non resurrectionem corporalem sed spiri-

spiri-

spirituales tantum, & à peccatis ad novam vitam emersionem inten-
 dere. Resp. primario de morte & resurrectione spirituali hic loqui
 Apostolum concedimus: Secundario tamen etiam resurrectionem
 corporalem respicere, nulli dubitamus. Vult enim, *ut primum spiritua-*
liter resurgamus à peccatis, ut post etiam corpus nostrum lætissimæ resurre-
ctionis Christi particeps reddatur, prout hæc verba explicat D. Bidemba-
 chius prompt. Exeq. part. 2. them. 39. ex Nov. Test., atq; ita non obscure
 insinuat, à Christi resurrectione nostram resurrectionem dependere, id
 quod variis argumentis in verbis textum nostrum præcedentibus.
 I. Cor. XV. à v. 1. ad 29. ad oculum demonstravit, cujus brevem analy-
 sin habes in proæmio. Liqueat 2. ex naturâ & efficacîâ sacramentorum
 baptismi & cœnæ Dominicæ ut mediorum, per quæ Sp. S. vel Christus
 per Sp. S. in hominibus sanctificandis efficax est. Per baptismum qui-
 dem, cum mundat & lavat sanctificandos à peccatis Eph. V, 26. ut justifi-
 cati illius gratiâ hæredes efficiamur juxta spem vitæ æternæ, Tit. III. v. 7.
 Per S. cœnam, cum credentes certos reddit, ac per media corporis &
 sanguinis sui sanctificantia ita confirmat, ut in corruptibilitatem quasi
 comedere videantur. Sic enim ipse Christus Joh. VI, 54. Qui manducat
 carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego
 resuscitabo eum in novissimo die. Unde merito interrogat Episcopus
 Lugdunensis Irenæus l. 4. c. 34. p. 263. *quomodo dicunt carnem in corru-*
ptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & sanguine Domi-
ni alitur? Et hujus sanctificationis intuitu dicimur templa & habitacula
 Sp. Sancti, I. Corinth. III, 6. cap. VI, 19. Ex quo firmiter cum Apostolo
 Rom. VIII, 11. pro carnis resurrectione ita concludere licet: *Si Spiritus*
ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: etiam ille, qui excita-
vit Christum à mortuis, vivificabit & resuscitabit mortalia corpora vestra.
 (propter peccatum mortua v. 10.) *propter ipsius spiritum inhabitantem in*
vobis. Ratio connexionis est: In quibus habitat Sp. S. in iis etiam ha-
 bitat per duo illa media sacramenta: ubi autem hæc sunt, ibi etiam ef-
 fectus eorum est expectandus, nempe *sanctificatio*, & post eam tan-
 dem *carnis resurrectio*, ut ostensum ex Tit. III, 7 Joh. VI, 54. hinc rectè
 Lutherus Tom. 3. Jenens. pag. 363. dicit: *Et corpus quoq; in æternum vi-*
vet, edit enim æternum cibum, qui sanè non admittit sempiternam putrefa-
ctionem, & in terræ pulvere custodiam. Elucet ex his, si spectemus finem
 argumenti Apostolici, resurrectionem scil. mortuorum, posse hic opti-
 B mè in

mè intelligi baptismum sacramentalem, quippe qui resurrectionem mortuorum quàm maximè probat. Missis igitur aliis explanationibus variis hanc amplectimur, &

§. 5. Dicimus 4. Omnium simplicissimam esse interpretationem horum verborum, si dicamus, Paulum hìc respicere sacramentum baptismi à Christianis inter alios fines etiam in spem resurrectionis susceptum; Hæc interpretatio nititur fundamentis tam Scripturæ quàm Ecclesiæ. Ex Scripturâ jam monstravimus posit: præced: unde fluunt conclusiones:

1. Quicumq; baptismus probat resurrectionem mortuorum, illum Apostolus loco fundamenti resurrectionis collocat.

Atqui baptismus Sacramentalis probat resurrectionem. E. Major suâ luce radiat, quod enim non habet vim probandi, non potest probationis loco adduci. Minor patet ex §. præced.

2. Finis baptismi est finis baptizandorum.

Resurrectio mortuorum est finis baptismi. E.

Major probatur, quicquid enim agit, propter finem agit. Minor §. præced. probata est. Ecclesia nobis suum adjicit calculum eâ quam inde ab Apostolorum tempore obtinuit consuetudine. Non solum enim ex verbo Dei docet, baptismi fructum esse, ut justificati illius gratiâ hæredes efficiamur juxta spem vitæ æternæ Tit. III, 7. quam præcedit mortuorum resurrectio; sed etiam quilibet baptizandus juxta seriem articulorum Symboli Apostolici credere tenetur & resurrectionem carnis & vitam æternam, & in hanc spem & fidem baptizatur.

§. 6. Nulli ergò dubitamus aphorismum hunc Apostolicum intelligere de vero baptismo sine tropo sine sensus contorsione, sine fictitiarum opinionum patrocinio; tantum expediendum restat, quid de verbis *ὕπὲρ νεκρῶν* ex hypothesis præmissâ sentiamus? Cupimus adhærere hic lateri optimorum Theologorum nostrorum Lutheri, Chemniti, Gerhardi, Balduini & aliorum, qui primitivam Ecclesiam hunc morem nonnullibi admisisse probant, ut baptismus administraretur in locis, ubi mortuorum corpora condita & quasi profeminata fuissent in spem resurrectionis, quâ cadavera lætissime revirescere debent. Lutherus ad h. l. Ad confirmandam resurrectionem, ait, Christiani baptizabantur super sepulchris mortuorum, & in eos tanquam è morte redituros digitum intendebant. Chemn. Exam. p. IV. f. 14. Sicut tempore Pauli

Pauli

Pauli, ait, ad significandam spem resurrectionis actio baptismi viventibus alicubi supra mortuos administrabatur 1. Cor. XV. ita Evcharistia administrari potuit super corpora martyrum sine superstitione. Gerhard. tom. VIII. §. 268. Nos, inquit, amplectimur B. Lutheri explicationem, quod Apostolus loquatur de ritu baptizandi Christianos ad sepulchra mortuorum, qui fuit symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum, ac de collectione & consociatione baptizatorum vivorum spirituali cum membris unius ejusdemq; corporis mystici, quin & publica professio de morte pro Christi gloria & articulo resurrectionis obeunda. At quæ, inquis, vel scripturæ vel venerandæ antiquitatis indicia hunc ritum probabunt? Resp. (I) cum Balduino ad h. l. Baptismus in cœmiteriis ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ administrabatur ad sepulchra mortuorum, imprimis martyrum tempore Pauli in primâ persecutione cum multis aliis Ecclesiæ luminibus à Nerone extinctorum. Idq; non modo in spem resurrectionis à mortuis, sed & ex necessitate quâdam. Nam primis ducentis annis à Christo nato Christiani templa ædesque sacras non habebant, sed primum in cœnaculis congregabantur, ut constat ex Act. I. & XX. deinde in cœmiteriis, quæ Christianis erant veluti templa, & orationum loca, in quibus Episcopi Synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur, ut loquitur Onuphrius lib. de ritu sepeliendi mortuos cap. XI. conf. Polyd. Virg. lib. V. de rerum invent. cap. V. Resp. (II) talem ritum sacra in cœmiteriis peragendi Eusebius libr. IV. histor. Eccles. c. X. tanquam usitatisimum illis temporibus adducit ex epistolâ Ecclesiæ Smirnenfis, verba sunt: *Nos ambusta ossa Polycarpi pretiosissimis gemmis clariora, & omni auro probabiliora per ignem facta colligimus, ac si conveniebat ex more condidimus, quo in loco etiam nunc, præstante Domino solennes agimus celebresq; conventus, maximè quidem in die passionis ejus, sed & cum eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur.* Et libr. IX. cap. II. *Maximinius protinus quicquid ad obturbandam, pacem nancisci potuit, molitur. Igitur primò prohibere nostros per occasiones quasdam tentat, ne ad cœmiteria convenirent.* Hinc patet, Ecclesiam, à quo per tyrannidem Imperatorum Romanorum quatuor ante Pauli martyrium annis à quiete publicorum congressuum dejecta est, loca elegisse solitaria, ad quæ & corpora martyrum deferrent, ipsiq; tanquam ad oratoria convenirent. Atqui
jam


jam ante Pauli mortem Ecclesia latebras quærere debuit, quæ utiq; etiam tum magnificit martyrum victrices exuvias, & in ea loca deposuit quæ charissima ipsi fuerunt. Resp. (III) sufficere apertum hunc de baptismo super mortuis locum κατὰ ῥητὸν ritum illum temporarium confirmantem, uade vi canonis hermeneutici (à verborum scilicet naturali & proprio significato sine urgente necessitate abeundum non esse) ne latum quidem unguem discedimus. Nec opus est, ut multis scripturæ locis idem confirmetur, sufficit unica veritas ab eo asserta, qui in sacra scripturæ consignatione errare non potuit à Sp. Sancto gratiâ infallibilitatis afflatus. Et quid est, cur claro & naturali sensu reprobatò alias expositionum lacunas operosè quæramus, alium hermeneiæ filum contortissimè fingamus, de iis, quæ nec fuerunt unquam, nec in rem quadrant, sollicitemur? Dices, mortuos non significare cadavera, Resp. id falsum esse τὸν νεκρὸν non notare cadaver, conferatur Odyss. XII. Xenoph. Hellen. ult. eo more usi fuerunt illà voce LXX. cum redderent Hebr. נֶפֶשׁ ejusdem notionis Genes. XXIII. vers. 3, 4. καὶ αἴση Ἀβραάμ διὰ τὸ νεκρὸν καὶ θάψα τὸν νεκρὸν μὲν. Sed hic pedem figimus, & si quæ restant dubia, discursui reservamus. Sic

Ἡ εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ εὐχαριστία,
καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ ἰσχὺς τῷ θεῷ
ἡμῶν εἰς πάντας αἰῶνας τῶν αἰώνων,
Α Μ Η Ν.





Spem vitæ Baptisma refert, super ossa peractum
Martyris. In tanto Martyr honore fuit.
SEt sic Martyrii, spectans Baptisma, coronam
Spem vitæ firmat, Martyriumq; probat.
Nunc terret Martyr. Sed & (ô memorabile nomen!)
Baptismi & Calicis crux sacra nomen habet.
Hermannus Schuckman / D.
Facult. Theol. Senior.



Φίλτατε, ἐξέτασιν ταύτην, καὶ πάντα ἀρέξεις
Ἰψιμέδων διδώτω ἔμμεναι εὐτυχέα.

ὅτι τάχιστα

Cornel. Pittelius.



Sic constans certa, letusq; ascende Cathedram
Præmia mox capies quæ dabit alma Themis.

Hilce paucis pereximio ac literatissimo Dn. Re-
sponfore Amico & commensali suo dile-
ctissimo, gratulari debuit

M. Hoppe. Mecklenb.

1750

DUm sedeo sacros dicturus carmine fontes,
Arui ad nostros Castalis unda modos.
O superi, quæ causa latet! tam grandibus ille
Non bene miscetur turbidus humor aquis.
Nil erras, quicunq; leves, nova semina, guttas
Prima rudimentis orsa dedisse putas.
Incubuit primis fabricator Spiritus undis,
Incubat & fonti Spiritus ille sacro.
Res miranda! genus perit mortale sub undis,
Quâq; perit, miser hâc arte juvatur homo.
Huc quicunq; venit nova captans frigora, non hunc
Igneus atroci Seirius ore petet.
Interdicat aquâ Prætor Plutonium illâ,
Nil aget; assiduo fonte voluta venit.
Hâc madidus lentos irarum dissipat ignes
Ustaq; scintillis corda cupidineis.
O miser! indignum qui sese hoc flumine lavit,
Æthiopem lavat hic; ille lavat laterem.
Æternos igitur qui vitas sedulus ignes,
Prima salutiferis spes tibi surgat aquis!

Scribebam festinus

Daniel Georgius Morhofius,
Vismariensis,



Coll. diss A. 207, msc. 26